

## Tercia etas mundi

no. Si bos insignis ex improviso illis apparet eum certo tempore detinet et adorant. Et (ut nonnulli ferunt) per annum illum detinere consueverunt. Alij per decennium dixerunt. deinde referentibus prefatis auctoribus statuto die sacerdotes illum in sacro fonte submergerunt. mox alter nec sine publico luctu queritur. Nam donec illum inuenerint instar ysidis merent. Sed non diu queritur. quem copertum centum antistites memphim cum puerorum gregibus populorumque et omni musicoz genere prosequuntur. qui ad motum et stationem apud egypti delubra quibus succedit aut incubat. dant omnia manifestata de futuris. Prope Memphim decurrit Nilus fluvius egypti ex maioribus totius orbis. Et immensa aquarum mole singulis annis sole existente in cancro totam egyptum exundat. Et Virgil. ait. Diuersa ruens septem discurret in ora. usque coloratis amnis deuersus ab indis id est nigris ethiopiis. Memphim nunc urbs saracenorum prestantissima est populosissimaque bonis plurimum refertissima. Et in castro spaciose potentissimus Soldanus residet. Diuisa est autem in duas partes. Quarum una babilonia noua. Alia chayrum dicitur. In qua olim Pharaon rex egypti habitabat. Et ad eas gloriosa virgo maria cum puero Iesu et Joseph peruenit. precipue ad ortum balsami que in his finibus celebris habetur. Ad eam etiam docti viri accesserunt Pythagoras et Plato etc. ut memphiticis audiret vates. Pyramides quoque ingentes hec regio habet et varia memorabilia que diffuse apud plerosque scribuntur.

**I**n Nonagesimonono etatis abrahe anno apparuit ei deus et promisit quod filius de sara uxore nasceretur quem Ishaac vocari iussit. Cumque Ishaac quatuordecim et xx. esset annorum volens deus abrahe obedientiam probare ipsum filium sibi imolari precepit. Qui repente dei iussa adimplere studuit. Et cum ad cedem filij pariter et ad altare accessisset. deus cognita hois obedientia clamauit. abraha ne extendas manum in puerum. nunc cognoui quod timeas dominum. Et confestim arietem ex improviso vepribus inherente ad sacrificium protulit. Cum abraham obedisset domino in immolatione filij sui Ishaac. facta est ad eum dulcis illa repromissio de christo dicente sibi deo. In semine tuo benedicentur omnes gentes. quia obedisti voci mee.



**Z**oroastes pater ut scribit Isid. Ethic. li. viij. ca. viij. Rex Bactianorum fuit quem Minus assiriorum rex bello interfecit. et libros exuri mandauit. de isto scribit Solinus in li. de memorabilibus mundi. nascentium vox prima vagitus est. leticie enim sensus differtur in. lxxij. diem. Itaque unum nouimus eodem die risisse qua erat natus. scilicet Zoroastem. Hic primus magorum extitit de quo Aristoteles ait. quod vices centum milia versuum ab ipso condita indicij voluminum eius declarantur. Hanc autem magicam artem post multa secula Democritus ampliauit. Claruit autem Zoroastes tempore patris Abrahe.

